



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XVIII. Magdalena exostulat cum inani sepulcro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

ELEGIA XVIII.

MAGDALENA *expostulat cum
inani sepulcro.*

VT stetit ad saxum gelido mage frigida saxo
 Magdalis, & vacuo pæne sepulta specu;
 Attentis oculis rimatur auara sepulcrum,
 Et geminam lustrat lyncea tota petram.
 Nil reperit, nisi quid breue nescio textile lino,
 Angulus obscurâ quod niger abdit humo.
 Ilicet exclamat, moriensque incumbit hiantem
 In cautem, ipsa sibi Magdala visa rapi:
 Siccine tu rupes, rupes, ah! perfida rupes,
 Fallis, & affectus surripis ergo meos?
 Heu! vbi sancta fides, si marmora nescia vitæ
 Nunc quoque fallaces edidicere dolos?
 Prô facinus! sic bruta silex eludet amantem?
 An cos asperior marmore marmor habet?
 Affectum quæ nescit, alet petra perfida fraudes?
 Mors etiam hanc artes erudit ipsa suas?
 Quærebam, cui cinnameos liquor imbuat artus,
 Heu nisi fallaci lintea cerno specu,
 Vnde mei cæpit detexi tela doloris,
 Tela per innumeras euoluenda moras.
 Fallimur heu nimium! nimium me fallit IESVS,
 Qui pede tam celeri fraudat amantis iter.
 Heu! ego quid merui? vel quo rea pecco piaculo?
 Ni graue sit crimen, munera ferre Deo.
 Sed pietas suprema iubet dare dona sepulto:
 Et rea pecco? meo à crimine crimen abest.
 Sic tamen immeritam plectit, quam fallit IESVS;
 Et

Et procul, heu! vitam diripit ille meam.
 Ille suburbanis iam fortè decerrat agellis,
 Fortè terit Solymæ, fortè Sionis iter.
 Quid iuuat hic omni si fors spatietur in agro,
 Quæ loca cuncta vouent, si mihi cuncta negêt?
 Tuque etiam, ah! Aurora meam rapis improba
 lucem,
 Quam matutino Sole spondit Amor.
 Ergo meis (ô nox mihi quanta refurgit Eoo!)
 Excidet æternum lux mea luminibus?
 Aut mea si tardis maturas vota quadrigis,
 O cur non Phaëthon fit tibi noster Amor?
 Quàm rapidis stimulis laxas vrgeret habenas?
 Quàm rapidis IESVM quæteret ille rotis?
 O ego tunc! ô quæ suspiria mista querelis,
 Amplexusque, crocosq; osculaq; & lacrymas!
 Sed quid plura? rapit Zephyrus mea vota per
 auras,
 Et vaga cum Zephyro cor rapit aura meum.

ELEGIA XIX.

MAGDALENA suum quem querit
 IESVM describit.

ERRAT inops voti, per rura, per arua, per arces,
 Oppida, & Isaciis compita secta viis,
 Magdalis, ignotumque diu venatur IESVM;
 Vndique venantem sed sua præda fugit.
 Instat amans, vani spem pascit in omine voti:
 Quam sibi mille viæ dant, sibi mille negant.
 Ah! quoties Solymæ deserta pererrat arenæ,
 Et quoties viridi fessa recumbit humo;